

Jurisprudence*

**1. Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura, decree of the
Congresso, Suspensionis, prot. n. 27338/96 CA, January 20, 1998**

Prot. n. 27338/96 CA

N

Suspensionis

**(Rev.dus X – Congregatio pro
Clericis)**

1. Die 31 ianuarii 1994
Exc.mus Episcopus N Rev.dum X
iussit intra triginta dies a litteris
receptis in dioecesim redire, eum
monens secus processum poena-
lem institutum iri. Quam adver-
sus decisionem, a Congregatione
pro Clericis die 27 martii 1994
probatam, Rev.dus X die 7 iunii
1994 ad hanc Signaturam Apo-
stolicam provocavit, quae autem
in Congressu diei 15 martii 1995
decrevit recursum ad disceptatio-

* The Latin text of these decrees and their unofficial English translation prepared by William L. Daniel are published with the permission of the Supreme Tribunal of the Apostolic Signatura.

nem admitti non posse, utpote manifeste quolibet carentem fundamento. Hoc decretum dein mox factum est res iudicata, nam ulterior recursus Rev.di X contra illud decretum diei 15 martii 1995 extra terminum peremptorium propositus est (cf. ad rem, sub prot. n. 25250/94 CA, decretum in Congressu diei 3 februarii 1997 latum et decretum definitivum diei 21 iunii 1997).

Litteris diei 26 ianuarii 1996 Exc.mus Episcopus N, mentione facta de decreto huius supremi Fori diei 15 martii 1995, Rev.do X iterum praeceptum formale dedit ut in dioecesim rediret intra et non ultra triginta dies, cum comminatione poenae suspensionis in casu inoboedientiae. Respondit vero Rev.dus X se non amplius iurisdictioni Episcopi N subici ob assertam suam in archidioecesi Y incardinationem die 4 novembris 1995 peractam.

Exc.mus Episcopus N tunc Congregationem pro Clericis consuluit, quae censuit assertam incardinationem tamquam non existentem habendam esse ob defectum praeviae excardinatio-

nis ex dioecesi N. Ipse, ceterum, Exc.mus Archiepiscopus Y sua ex parte die 10 ianuarii 1996 Rev.do X scripserat: "Please note that my incardination is not valid till you send me the letter of excardination".

Rebus sic stantibus, Exc.mus Episcopus N, litteris die 16 maii 1996 ad Rev.dum X datis, iteravit monitionem canonicam et decrevit:

"1. Entro il giorno 25 giugno 1996, Ella deve rientrare e dimorare stabilmente nella Diocesi di N, abbandonando totalmente le attività ora in atto. 2. In caso di mancato adempimento di tale ordine, e fino alla sua attuazione, Ella è sospeso da tutti gli atti di cui al can. 1333, § 1, 1^o, 2^o"

Die 31 maii 1996 Rev.dus X revocationem petiit huius decreti, quod tamen Exc.mus Episcopus epistola diei 12 iulii 1996 confirmavit. Recurrit vero Rev.dus X tam contra decretum quo suspensio inflicta est quam contra denegationem excardinationis e dioecesi N die 18 iulii 1996 ad Congregationem pro Clericis, quae die 20 septembris 1996 recursum reiecit et suam decisionem die 17 octobris 1996

confirmavit, quam adversus Rev.dus X, tandem, die 27 novembris 1996 recursum interposuit ad hanc Signaturam Apostolicam.

Exhibitis memoriali pro recurrente die 14 maii 1997 et memoriali pro ecclesiastica Auctoritate die 27 octobris 1997, Rev.dus Promotor Iustitiae deputatus die 22 novembris 1997 votum pro rei veritate exaravit, cui Cl.mi Patroni partium non responderunt.

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

2. Attento, circa assertam Rev.di X incardinationem in archidioecesi Y peractam, quod:

– Cl.mus Patronus recurrentis contendit eum anno 1978 obtinuisse facultatem residendi extra dioecesim, id est ubicumque, ad tempus indeterminatum; hanc facultatem esse verum privilegium (!) ; ideoque incardinationem in archidioecesi Y ei die 4 novembris 1995 concessam non considerari posse tamquam inexistentem ob defectum excardinationis ex dioecesi N, quam ob rem decretum Exc.mi Episcopi N

diei 16 maii 1996 non esset validum, utpote latum adversus sacerdotem eius iurisdictioni non amplius subiectum;

– Rev.dus autem X numquam obtinuit facultatem sic et simpliciter manendi extra dioecesim, sed tantum in ordine ad incardinationem in Z vel alia dioecesi obtinendam, quam facultatem Exc.mus tunc temporis Episcopus N litteris diei 15 novembris 1989 revocavit; nova quoque licentia die 8 aprilis 1990 data dein litteris 18 iulii 1990 ab eodem Episcopo revocata est una cum omnibus facultatibus sacerdoti X antea concessis;

– Quidquid est, novus Exc.mus Episcopus N decreto diei 31 ianuarii 1994, cuius legitimitas iam amplius in dubium vocari nequit (cf. supra), recurrentem in propriam dioecesim redire iussit, quo praecepto evidenter etiam revocata erat licentia ad incardinationem in alia dioecesi assequendam;

– Rev.dus X proinde fraudulenter cum Exc.mo Archiepiscopo Y egit, litteras ei exhibens anno 1978 datas, quae inde ab anno 1989 omni valore iuridico destitutae erant;

– Quae cum ita sint, impugnatio decreti Exc.mi Episcopi N diei 16 maii 1996 ex capite assertae incardinationis in archidioecesi Y manifeste nullo gaudet fundamento;

3. Perpenso, circa recusationem Exc.mi Episcopi N concedendi Rev.do X excardinationem in ordine ad incardinationem in praefata archidioecesi obtinendam, quod:

– Rationes graves (cf. can. 270) non concedendi litteras excardinationis in casu eadem sunt ac illae pro revocatione Rev.di X in dioecesim ab Exc.mo Episcopo decreto diei 31 ianuarii 1994 iussa, et hoc decretum non amplius impugnari potest;

– Ceterum, non intellegitur quanam archidioecesis Y necessitas aut utilitas incardinationem Rev.di X exigeret (cf. can. 269, n. 1);

– Quam ob rem nullum habetur indicium alicuius violationis legis ex parte Congregationis pro Clericis in confirmanda decisione qua Exc.mus Episcopus N negavit excardinationem in casu;

4. Perspecto, quoad poenam suspensionis Rev.do X inflictam, quod:

– Rev.dus X, Episcopo suo legitime praecipienti non oboedivit et post monitum in inoboedientia perstitit, ideoque ad normam can. 1371 iusta poena puniendus erat;

– Cum neque relate ad poenam Rev.do Recurrenti inflictam ulla adducatur violatio legis quae aliquo fundamento gaudere possit;

5. Viso art. 116 Normarum H.S.T. Specialium;

Re sedulo examini subiecta in Congressu coram infrascripto Secretario, vi facultatis specialis a Summo Pontifice concessae, die 20 ianuarii 1998 habito,

decrevit:

Rekursus non admittitur ad disceputationem coram Em.mis et Exc.mis Iudicibus, quatenus ipse manifeste quolibet caret fundamento.

Pro expensis retinetur summa a recurrente apud arcam huius

Supremi Tribunalis deposita.
Unaquaeque pars suo Cl.mo
Patrono congruum honorarium
solvat.

Et notificetur iis quorum inte-
rest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede
Supremi Signaturae Apostolicae
Tribunalis, die 20 ianuarii 1998

+ Zenon GROCHOLEWSKI, *Secr.*

Vincentius CÁRCEL ORTÍ, *Canc.*